

- XXX. Quod aliquis non exeat de Ragusio nisi presentet se doaneriis et de pena contrafaciencium.
- XXXI. De pena generali omnium euncium per mare, qui non faciunt doanam.
- XXXII. De barcis et aliis lignis, ut non discedant de Ragusio sine licencia doaneriorum et de pena contrafaciencium.
- XXXIII. De pena generali omnium euncium per terram, qui non soluunt doanam.
- XXXIV. Quod aliquis non debeat caricare salmas, nisi ante presentet se doaneriis et de pena contrafaciencium.
- XXXV. De pena generali omnium, qui uendunt foresteriis.
- XXXVI. Quod doaneriij non possint dimittere de recto doane in ultimo mense, si doana esset uendita.
- XXXVII. Qualiter pene et barra diuidi debeant.
- XXXVIII. De scribano beccarie et qualiter eligi debeat.
- XXXIX. De obscuritatibus et questionibus declarandis per domium comitem et suam curiam uel cum consilio paruo.

I. De his qui portant lencium per mare.

Ordinamus et statuimus, quod quicumque Raguseus uel Ragusea portare uoluerit uel per alium mittere de Ragusio uel de quacumque alia parte ubicunque sit per mare a brollia usque ad flumen Lesij¹⁶³⁾ uel ad insulas de Meleta, Curçola, Lesa, Farra siue Quaro et Braca lencium¹⁶⁴⁾ siue fuerit laboratum in Ragusio siue extra Ragusium, soluat doane pro quolibet centenario de lencio grossos tres et tertiam de grosso.

II. De his qui portant lencium per terram.

Quicumque Raguseus uel Ragusea portauerit uel per alium miserit dictum lencium per terram infra predicta loca uel ad dictas insulas, soluat doane pro quolibet cubito de lencio follarem¹⁶⁵⁾ vnum. Et hoc sane intelligimus, quod tam illi qui mouebunt se de Ragusio per terram, quam illi qui ibunt de Ragusio cum barca usque ad bucam de Stagno et postea portabunt dictum lencium per terram, soluant doane pro quolibet cubito foll. vnum, vt predictum est.

III. De his qui uendunt lencium foresteriis.

Quicumque Raguseus uel Ragusea vendet vel donabit seu alio quocunque modo dabit dictum lencium foresteriis, qui foresterij portare velint vel per

¹⁶³⁾ Meleta, Curçola sind die heutigen Inseln Meleda und Curzola; Brollia ist wohl Apulien, der flumen Lesii der Dvilo; Lesba, Lissa; farra oder Quaro das heutige Lesina (slav. Ljwar).

¹⁶⁴⁾ „Vox ducta ex λέντιον quod graeci recentiores formarunt ex latino „lenteum“ Du Cange Gloss. sub lencium.

¹⁶⁵⁾ Follaris, folleraris — gebildet nach follis, φάλλος, einer byzant. Münze — eine kleine Münze, in Silber und Kupfer geprägt.